



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Pecunia quantum ametur, æstimetur, valeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Abbatissa est pecunia; & magnum Conventum habet; cui omnia obediunt. Hugo Card. hic.

Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream. Dan. 3. 1. Nunc aurea imago (ut olim statua aurea Nabuchodonosoris) proposita est, pecunia scilicet in qua tyrannica quadam mammonæ formatur effigies, & ad serviendum sibi subditorum corda sollicitat. Hanc statuam adorare nolentes dicit, mitti in fornacem paupertatis: est enim terribilior pauperie igne; & amplius ferre consuevit. S. Chrysost. hom. 4. in c. 1. Matth.

Fluxum, & inconstans, hujus lucis aurum est; & quasi sphaera lusoria; ab alio statim ad alium transit. S. Alterius Ep. hom. in festum Kalendarum.

S. Franciscus Seraph. nummos vocabat muscas: musca enim semper molesta, & importuna est; sive comedas, bibas, studeas, legas, dormias; faciem infestat, ut sanguinem sugat: abacta redit ad sugendum, & vexandum. Sic cura de divitiis. Diez. Avaritia.

§. II.

Pecunia quantum ametur, aestimetur, & valeat.

Vendiderunt cum Israhelitis viginti argenteis. Gen. 37. 28. Mirum est: cum de occidendo Joseph agitur, aut mittendo in cisternam; patronos habet, qui defendant: at cum de vendendo concluditur, nemo musitat, tacent omnes, & consentiunt. Judas pondus addidit: *quid nobis proderit?* quod inde commodum? venundari praestat; denarios inter nos partiemur. *Acquieverunt omnes sermonibus illius.* S. Chrysost. l. 29. sic proprii lucris cupiditas caecavit mentes eorum, sic corda depressit; ut non offensam Dei, non Sancti Patris dolorem non proprii sanguinis sensum, meminisse permiserit. Paoletti. D. 3. Adv.

Pecunia obediunt omnia. Ecclæ 10. 19. Hebr. *humiliat, & subjicit sibi omnia.* Vel, *exaudit omnia.* Vel, *respondet omnibus.* Alius vertit: *argento humiliant se omnes.* Aptè Poeta Jovi dederunt imperium cœli, Neptuno maris, Plutoni inferorum: quia opes ex imis terræ visceribus erunt; & avaros ad Infernum deducunt. Cornelius hic.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth. 6. 24. Nummus est terræ omnipotens Deus Tertul. l. 4. Adr. Marcionem: injustitiae cultorem, & dominatorem totius sæculi, nummum scimus omnes: duos enim dominos nominavit, Deum, & mammonam; Creatorem, & nummum. Hic tyrannus potestate suâ quodammodo exaquat verum, & legitimum Do-

minum, qui est Deus. De quo Prov. 21. 1. *cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.* Et quid dominus nummus? dicat Ecclesiasticus 8. 3. *multos perdidit aurum, & argentum, & usque ad cor regum extendit, & convertit.* Quid extendit? Pineda in Eccl. 10. 19. extendit dominatum, & imperium, & convertit illorum corda, quodcumque volet. Apoc. 19. 16. *in fine suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.* De nummo Ecclæ. 10. 19. *pecunia obediunt omnia.* Cajet. *argentum humiliat omnes.* Did. Niff. D. 14. Pent. §. 2.

Retulit triginta argenteos, & projecit argenteis in templo. Matth. 27. 3. 5. Vide, quam magni faciebat illos: non projecit eos in sterquilinio, sed in templo: nimirum talibus semper diis templum suum devoverat. Drogo Ost. de Sacr. Pass.

Ubi pecunia, ibi Rex; Drogo Ost. de Sacr. Pass.

§. III.

Pecuniam spernendi motiva.

Non est factum tale opus in universis regnis. 3. Reg. 10. 20. Salomon è puro auro fusiles sex gradus fecit ad regale solium conscendendum, teste Philone lib. 1. de Monarchia. Solium speramus in cœlo sublime, deliciis plenum, & stabile. Ad hoc tutissime itur per argenteos, & aureos, gradus; sed calcatos. Drexelius Ros. fel. virt. p. 2. c. 9. §. 3.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam. Matth. 10. 9. Cur hoc solum prohibetur? cur non etiam greges, & armenta bouum; & ovium? Christus D. informabat eos in omni perfectione: & hoc maxime consistit in auri & argenti, contemptu. Sylveira in Act. 20. 33. q. 11.

Ponebant ante pedes Apostolorum. Act. 4. 35. S. Hieron. ep. 8. ad Paulinam: quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in cedentibus fides; vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes? ut ostenderent, pecunias esse calcandas, nihilque faciendas.

Argentum, aut aurum nullius concupi-vi. Act. 20. 33.

Quid homini pecunia sua? nisi quoddam viaticum est. Multa oneri, moderata usui; viatores sumus vitæ hujus. S. Ambros. ep. 44.

Pecunia servis DEI nihil aliud est, quam diabolus, & coluber venenosus. S. Bonaventura c. 7. n. 5. vitæ S. Francisci, fratribus usum pecuniæ interdicens aiebat,

Fœnus pecuniæ, funus est animæ. S. Leo de jejuniis decimi mensis.

